

**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani  
de memoria ad libitum sancti Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

**MAIUS**

10 *S. Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*

IN MISSALE ROMANUM

Die 10 maii

**S. Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

De Communi pastorum: pro uno pastore (p. 933), vel de Communi doctorum Ecclesiæ (p. 943).

**COLLECTA**

Deus, qui sanctum Ioánnem De Avila  
clero populóque tuo magístrum præstantíssimum dedísti  
ob sanctitátem et sedulitátem vitæ,  
præsta, quæsumus, ut nostris étiam tempóribus  
Ecclésia sanctitáte augéscat  
propter óptimam tuórum ministrórum sedulitátem.  
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIÖNUM MISSÆ

Die 10 maii

**561bis S. Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

De Communi pastorum vel doctorum Ecclesiæ.

- |           |  |
|-----------|--|
| LECTIO I  | <b>Act 13</b> , 46-49, n. 720, 1.        |
| PS. RESP. | <b>Ps 22</b> , 1b-3. 4. 5. 6, n. 721, 2. |
| ALLELUIA  | <b>Mt 5</b> , 16, n. 729, 1.             |
| EVANG.    | <b>Mt 5</b> , 13-19, n. 730, 1.          |

## IN LITURGIAM HORARUM

Die 10 maii

S. IOANNIS DE AVILA,  
PRESBYTERI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Almodovarii de Campo, in Hispania, anno circiter 1500 ortus est. Sacerdotio auctus, cunctam Bæticam regionem, Christum prædicans, pererravit. Per multis scriptis naturam et magnum momentum Concilii Tridentini, cuius instaurationis vox fuit insignis, presbyteris demonstravit. Hæreticæ pravitatis iniuste suspicatus, nec examen neque carcerem fugit, catholicam doctrinam ferventius enarrans. Montaniolæ, in diœcesi Cordubensi, ultimis annis abditus, die 10 maii 1569 in Domino quievit.

**De Communi pastorum: pro presbyteris, vel doctorum Ecclesiæ.**

### Ad Officium lectionis

#### LECTIO ALTERA

Ex Scriptis sancti Ioánnis De Avila presbýteri et Ecclésiæ doctóris  
(*Tractatus de amore Dei erga nos*, 1. 2. 4: Madrid 2004)

*Caritas Christi,  
vultus eius ad Patrem semper conversus*

Fons, qui magis cor nostrum ad caritátem Dei állicit, conspéctus est altíssimæ caritatis, qua ipse pro nobis flagrávit et, cum ipso, Fílius eius valde benedictus Dóminus noster. Hoc, magis quam beneficia, cor ad amándum állicit, cum álius benefáctor ipsi det quod pòssidet, amans autem seípsum ófferat cum ómnibus quæ pòssidet, nec áliud ei offeréndum supérsit.

Inspiciámus nunc, ígitur, Dómine, an nos diligátis et, si non diligátis, quanta cáritas vestra sit erga nos.

Paréntes ádmodum amant filios, sed amatísne forte nos tamquam pater? Sinum cordis vestri, Deus meus, ipsi non sumus ingrèssi, ut hæc ómnia inspícere valerémus; Unigénitus vester, autem, qui ex illo sinu descéndit, eorúndem tulit signa et nos mandávit, ut ob infinitam caritátem, qua nos amabátis, Patrem vos nuncuparémus, quia sicuti bonus es tantum propter supereminéntiam dominicæ tuæ benignitatis, item tu solus es Pater atque sic es tanta facis, ut coram viscéribus paternitatis tuæ nemo sit, qui pari voce yaleat nuncupári.

Et si adhuc tantæ huic caritati diffidis, ómnia ínspice beneficia, quæ Deus tibi concéssit, quia ómnia ipsius caritatis pignora ac testimónia sunt. Ratiónen subdúce quot sint ómnia hæc beneficia et vidébis quæcumque sunt in cælis et in terra, sicut et univérsa ossa et órgana sensus in corpore tuo et síngulas horas et spátia témporis vitæ tuæ ómnia esse beneficia Dómini. Inspice étiam quot bona consilia accepísti et bona quæ in hac vita possedísti, necnon pericula quæ in hac vita effugísti atque morbos et cædes quibus cōrripi potuisses, nisi ipse liberáverit te: quæ ómnia caritatis tuæ perspicua sunt signa. Ac demum ad omnem hunc mundum óculos convérte, qui pro solo bono tuo creáthus est et una cum ómnibus creatúris in ipso conténtis caritátem signíficat enarrátque et tecum partícipat.

Et videámus nunc étiam quanta Fílius hic ab ipso nobis datus exarsísset caritáte. Lingua non est quæ digna id sit éloqui! Ignári atque ínscii quidam hanc caritátem adhuc non séntiunt, quæ, eorúndem senténtia, ex amáti perfectióne procédit.

Cáritas autem Christi non e perfectióne nobis ínsita óritur, sed ex eo, quod ipse pôssidet, vultus scilicet ad Patrem semper convérsum.

### RESPONSORIUM

Cf. Eph 3, 18-19; Io 3, 16

**R/.** Valeátis scire supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, \* Ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei, allelúia.

**V/.** Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum unigénitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam: \* Ut impleámini.

### Oratio

Deus, qui sanctum Ioánnem De Avila clero populóque tuo magístrum præstantíssimum dedísti ob sanctitátem et sedulitátem vitæ, præsta, quæsumus, ut nostris étiam tempóribus Ecclésia sanctitáte augéscat propter óptimam tuórum ministrórum sedulitátem. Per Dóminum.

### IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

*Addi debet ad diem 10 maii primo loco elogium quod sequitur:*

**M**ontíliae in Vandalícia Hispániæ província, sancti Ioánnis De Avila, presbýteri et Ecclésiæ doctórís, qui cunctam Bæticam régiónem Christum prædicans pererrávit et, iniúste de hæresi suspicátus, in cárcerem trusus est, ubi præcípuam doctrínæ suæ spiritális partem scripsit.